



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 273. Divortium quid & quotuplex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



Anchar. *ibid.* n. 2. Card. n. 30. Oliv. *for. eccles.* p. 3. q. 37. n. 3. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n.* 3. de cetero nomine causarum matrimonialium veniunt controversiæ & quæstiones de matrimonii & Sponsalium natura, qualitatibus, contractu, indeque ortis juribus & obligationibus, deque eorum valore, impedimentis horumque dispensationibus, deque matrimonii dissolutione, redintegratione, divortii, non tamen veniunt quæstiones de dote, donatione propter nuptias, successione hæreditaria, alimentis & similibus, tales enim quæstiones, utpote de re temporali & politica, pertinere ad forum & Judices sæculares de communi docere Bellarm. l. 2. de *matrim.* c. 32. Tanner. *Tom. 4. d. 8. n.* 166. testatur Wiestn. n. 5. & tenet Pith. *h. t. n.* 17. nisi tamen, ut addit Wiestn. n. 6. tales quæstiones in quæstionem matrimonialem propriè talem (quales sunt jam enumeratæ) in judicium principaliter deductam incidant; tunc enim, sicut de illis principaliter motis, sic etiam his incidenter cognoscere & pronuntiare pertinebit ad Judicem ecclesiasticum; sic quoque Judex sæcularis competens est in quæstionibus facti respicientis matrimonium, ut si agatur de punitione adulterii, incestus aliorumque criminum, quæ sunt contra sanctitatem matrimonii; tum quia hujusmodi delicta sunt mixti fori, quæ proinde Judex, qui præverit, sive sit ecclesiasticus, sive sæcularis, punire potest; tum quia sunt quæstiones facti, non juris, nec ad ea puniendæ necesse est cognoscere de valore matrimonii aut sensu canonum, ita Pith. *cit. n.* 17. citans Sanch. *de mat.* l. 3. d. 54. n. 3. & 6. Item Judex sæcularis competens est, dum quæritur, an matrimonium sit contractum, an contractum in facie Ecclesiæ, an clam, ut ita constet, an filius sit legitimus, nisi incidat in quæstionem juris. V. G. quid sit matrimonium clandestinum, Pith. n. 18. cum Tanner. l. c. q. 8. du. 9. n. 164.

2. Resp. secundò in specie: de jure communi in causis propriè matrimonialibus Judex competens est solus Episcopus, juxta c. *accidentibus*, de *excess.*

prelat. & expressam decisionem Trident. *sess.* 24. de *reform. mat. c.* 20. ubi: *ubi cause matrimoniales non Decani, Archidiaconi aut aliorum inferiorum judicio, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquimus &c.* Nihilominus in iis quoque (jure ordinario, adeoque citra commissionem & delegationem, aut etiam privilegium) Judex competens est Prælati alius Episcopo non subiectus, jurisdictionem quasi episcopalem in certo territorio & in ejus populum exercens. Rota apud Mantua. *decis.* 102. n. 7. Riccius *in decis.* Curia Neapol. *decis.* 184. Barbos. *de offic. & potest. Episc.* alleg. 84. n. 3. Wiestn. *h. t. n.* 7. Reiffenst. n. 21. Unde, dum Trident. aliis Episcopo inferioribus negat hanc jurisdictionem, intelligit illos inferiores, qui certæ diocesis Episcopo saltem in causis aliquibus subiecti sunt. Item Judex competens est capitulum sede vacante, utpote in quod transit ordinaria jurisdictionis Episcopi, juxta c. *his que*, & c. *cum olim*, de *majorit. & obed.* Item non tantum Vicarius Episcopi generalis in spiritualibus, & quidem sine mandato speciali, juxta c. *fin. de cognat. Spirit.* & c. 1. de *frigid. & malef.* sed & Vicarius capituli sede vacante, ut Barb. l. c. n. 3. Covar. *de Sponsal.* p. 2. c. 8. §. 12. n. 1. Quarant. *in sum. Bullar. v. sede vac.* de quo vide me in *Vicar. Episc.* q. 582. De cetero ex commissione & privilegio, quin & ex consuetudine præscripta legitime (non sufficere tamen quadragenariam, sed requiri immemorabilem, juxta quod declaratum à S. Cong. Card. Interp. Trid. testantur Fagn. & Barb. *asserit Wiestn. h. t. n.* 10.) causarum matrimonialium cognitio & definitio officiali minus principali competere potest, & competit, præsertim in diocesis amplioribus, uti & Archidiaconis, Decanis & Vicariis foraneis, quos commissarios vocant, aliisque Præstis ecclesiasticis, ut patet ex communi praxi Ecclesiæ, & juxta hanc docent gl. *fin. in c. accidentibus. de excess. prelat. Butr. ibid. n. 2. Abb. n. 3. Fagn. n. 3. apud Wiestn. n. 9.*

## TITULUS XIX.

### De divortii.

*Quest. 273. Divortium quid & quotu-plex.*

1. **R**esp. ad primum: Divortium est viri ab uxore, & hujus à viro separatio legitima, nimirum non facta sine lege vel ratione vel etiam autoritate Judicis Sylv. *v. divortium.*

2. Resp. ad secundum: Est tam apud Theologos quam apud Jurisconsultos duplex; nimirum prout importat dissolutionem matrimonii tantum quò ad thorum & habitationem, & prout importat dissolutionem quò ad ipsum vinculum. Porro separa-

tio, quæ non est perpetua, sive ex causa per se duratura semper, minus propriè divortium appellatur, qualis est illa, quæ in jure frivolum dicitur, quòd juxta Ulpianum *in l. cum. §. divortium. ff. de donat. inter vir. & uxor.* est levis seu frivola offensa inter conjuges, quam ob levis quandoque momenti causam, erinde nascentem iram subitam sequitur temporalis quadam secessio seu separatio, dum postliminio quiescente ira & animo sedato, cessat. Verum de hac separatione hic nihil, de cæteris duabus speciebus divortii in præsentè, capitibus duobus sequentibus.

## CAPUT I.

### De divortio conjugum quò ad vinculum ipsum matrimonii.

*Quest. 274. Matrimonium ratum quòd dicatur.*

1. **R**esp. ad primum: Matrimonium ratum dicitur, quòd post Baptismum susce-

prum mutuo contrahentium consensu perficitur, nulla carnali copulâ subsecutâ, unde et si infidelium seu non baptizatorum matrimonium sit legitimum, non est tamen ratum, e, quanto b. i. Porro matrimonium